

BULLA CLEMENTIS VII. PONT.
MAX. IN QVA PLENARIAM IN-

dulgentiam omnibus in Vrbe existentibus & Arma pro Papæ

& Urbis defensione contra Carolum de Borbonio nun-

cupatum, exercitum Imperialem contra mentem Cæsareæ

Maieftatis ad diripiendum Almam Urbem, ducentem,

capientibus elargitur. Coeterum officia Officialium Curiae in

pugna decedentium, eorum hæredibus libere concedit,

Beneficia uero Curialium, qui in hoc Sanctissimo certamine

occubuerint, eorum proximioribus, qui Clerici &

idonei sint, confert.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SER
VORVM DEI AD EVTVRAM REI
MEMORIAM.

CVM non sine animi nostri molestia & gregis Domini
nobis cōmissi magna sollicitudine intelligamus, Caro-
rolum de Borbonio nuncupatum, contra Cæsareæ Maiesta-
tis uoluntatem, cum exercitu gētium Imperialium, quæ maio-
ri ex parte Lutheranis hæreticis, ac perfidis Iudæis constare
dicuntur, post multas Ciuitates, Terras, & loca nobis & San-
ctæ Romanæ Ecclesiæ immediate subiecta, multis ac maximis
dammis, direptionibus, cædibus, ac rapinis, inauditisq; cru-
delitatum generibus affecta, ad almam Urbem nostram appro-
pinquare, ut similibus ac etiã maioribus uexationibus eã bea-
torum Petri & Pauli, ac aliorum Sanctorum Martyrio & san-
guine consecratam diripiant ac deuastent, persuasum habere
mus, non minus meritorium ac ipsi omnipotenti Deo, cuius
etiã causa agitur, gratum & acceptum opus nos facturos fo-
re, si dictam Urbem non solum spiritualibus, sed etiam tem-
poralibus armis protegamus ac defensemus, quam si contra
Turcas & alios infideles Christi nominis hostes arma sumi fa-
ceremus ac arma ipsa sumentibus, gratias & priuilegia solita
concederemus. Ea propter ne nobis ipsis dictæq; Vrbi ac cu-
rialibus & officialibus nostris in ea degentibus defuisse uidea-
mur, habita super his cum uenerabilibus fratribus nostris San-
ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione,
& de eorū unanimi consilio uniuersos & singulos Christifide-
les cuiuscunq; status, gradus & condicionis existentes in Dño

hortamur, ac per Viscera misericordiae Dei nostri requirimus
ut cōtra nos ac dictam Urbem Curialesq; & Officiales nostros
uenientes, arma sumere, ac nostram ipsiusq; Dei causam de-
fensare & ab imminentibus periculis liberare uelint. Quod ut
eo promptius atq; alacrius facere studeant, de omnipoten-
tis Dei misericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorū
eius auctoritate confisi, necnon uerbo illius, qui nobis in per-
sona eiusdem Petri, cuius pari auctoritate licet non paribus
meritis, successores sumus, dixit. Quodcunq; ligaueris super
terram, erit ligatum & in coelis, & quodcunq; solueris super
terram, erit solutum & in coelis. ac etiam de Apostolica po-
testatis plenitudine nobis coelitus tradita, omnibus & singu-
lis, qui pro Nostra & dictae Urbis defensione contra prædi-
ctos arma coeperint, ac uiriliter pugnauerint, eam prorsus
plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & re-
missionem quæ per nos & prædecessores nostros proficiscen-
tibus in subsidium Terræ Sanctæ & contra perfidissimos Tur-
cas concedi consuevit, ac in proximo anno Iubilei per nos
de more prædecessorum nostrorum concessa fuit, concedi-
mus pariter & indulgemus, ac illorum quos in defensione
huiusmodi decedere contigerit, animas, Sanctorum Angelo-
rum consortio in coelestibus æternæ felicitatis gaudiis aggrega-
mus. Et si officiales nostri uel beneficiati fuerint, eorum
officia hæredibus ipsorum concedimus, beneficia uero per
eorum obitum uacantia, eorundem proximioribus qui Cleri-
ci & idonei fuerint, conferimus, & ex nunc prout ex-
tunc & econuerso concessa & collata eis fore decernimus.
Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apосто-
licis, cæterisque contrariis quibuscunq;.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis
Dominicæ Millesimo Quingentesimo Vigesimo Septimo,
Quarto Nonas Maii Pontificatus nostri Anno Quarto.

F. BRANCHONIUS.